... chörus.

Strzegocki Wenceslai: Vera justificatio Academiae Crac. opposita falsae Christophori Nayman Justificationi — declarata.

VERA IVSTIFICATIO ACADEMIÆ CRAC: OPPOSITA.

FALSÆ

CHRISTOPHORI NAYMAN

Iustificationi, cum graui Iudiciorum Cameræ Apostolicæ, & Academiæ Crac: iniuria, extra impressæ, Cracouiæ sparsæ.

DECLARATA.

Per Nobilem WENCESLAVM STRZEGOCKI *Academiæ Crac: Alumnum.*

Pro inclyta Matre, Contra degenerem, & rebellem Partum.

Cum Licentia Superiorum.

CRACOVIÆ,
In Officinâ Christophori Schedelij, S. R. M. *Typographi,*
Anno D. 1646. *Die*

Nihil turpiùs aut moleſtiùs maledictô in auctorem recidente; ſed ſicut refractum lumen, magis lædit imbecillos oculos: ita & maledicta, grauius offendunt, ab ipſa veritate, in maledictum retorta. *Plutarchus de vtilit. ex inimicis capienda.*

VERA IVSTIFICATIO
ACADEMIÆ CRAC.

D. Chriſtophorus Nayman, olim in Academia Cracouienſi ominoſus & notabilis, (vt exitus docuit,) Medicinæ Profeſſor: cum grauia damna, in tenuibus fundis *Swieborowice & Pielgrzymowice*, eidem Academiæ *hæreditarijs* dediſset: non vſque ſatiauit cupiditatem ſuam, niſi omni genere iniuriarum, innocentem vbiuis perſequeretur Academiam. Tertium luſtrum eſt, ex quo rem non ſuam, ſed piarum Fundationum fructus, per illum violentèr interceptos, repetit Academia: nullis interea parcitum eſt ab illo Contumelijs, & Paſquinis, apud populum in triuiis, Academiæ iniurioſè lacerandæ. Sed hæc licet grauiſsima, & plurimùm acerba fuiſsent; tamen Vniuerſitas modeſtâ diſsimulauit taciturnitate: Sunt enim quædam ita fatua, quæ iuſtiùs alto ſilentio, quàm litigio vindicantur verboſo. Sed cũ idem

idem *Nayman*, Romæ, in loco Sancto, Vrbe tam celebri, omnium Emporio gentium, post decreta ibidem pro Academia obtenta; rursùm ad vilipendium Decretorum Cameræ Apostolicæ, pro parte Academiæ obtentorum, Contra Academiam, Iustificationem suam famosam, in quam Crac: mandato supremi officij, flammâ vindicatum est, iterum edidisset: eamq; Eminentissimo Principi D. *Carolo Medices* S. R. E. *Cardinali* inscripsisset: ibique Academiam Nostram, & Professores, sicut Publicanos tractet; se autem falsô & malitiosè iustificet: nefas erat tam acerbam & infamē nobis contumeliam, in Principe Vrbe, vbi caput Religionis nostræ est, apud Eminentissimum Principem irrogatam, ibidem à *Naymano* iniuriosô Conuitiatore, conuulsores Ecclesiæ, S. Sedi rebelles Academicos, appellatos, dissimulare.

Idcircò ego, pro matre mea, vbi institutus sum, pietate & officio meo exigentibus. D. *Christophoro Nayman* respondebo: idq; sine dente, & vngue: se enim magis offendit, qui proximum sine causa lædit

Iustificationem D. *Christophori Nayman* non puto

puto veram, etiam censeo falsam: Cum Iustificatio Dilectionê, & Pænitentiâ opus habeat: neutrum, autem in hac D. *Nayman* Iustificatione, contineatur.

Quæ enim hæc erat Matris Academiæ in D. *Nayman*, quæ eum aluerât, educarât, & (cùm intra metas officij sui se contineret) tuebatur; dilectio? quam omnibus contumeliis, ex triuio quæsitis, hactenus vexauit, lacerauit? Cuius leges, Magistratum, Iurisdictionem, conculcauit, traduxit? etiam omnia Diuina & humana, in violanda vniuersitate permiscuit? omnium Hæreticorum per Prussiam officinas Typographicas excussit: vt cõtra Academiam exindè, ludibria & cachinnos profunderet infames. Consularia Acta Crac: primùm nænijs Academiæ iniuriosis infecit, & polluit: & plurima falsa, contumeliosa, per Regnum contra Academiam sparsit. Quid tum ageret Academia? quàm vt pro honore suo, & innocentia, contra hostilem se erigeret impetitionem: atque eum, qui & de damnis non leuibus sibi datis non responderet: etiam quod longè acerbiùs est, nouas contumelias, veteribus adderet iniurijs, in ordine suo non agnosceret.

ſceret. Vnde falſò ſe iactat, *Ordinis Academici*, à quo pridem, ſua malignitate excidit inſolenti.

Quod quidem iure ſuo, Academia & ex Priuilegio fecit; quod iubet; omnes rebelles, pænis pro modo delicti cóercere: aut ſi frænũ legũ momorderint; vt indomitas & nullius caueæ patientes feras: procul eijcere. Fuit hoc ſemper benè ordinatis vſitatũ Rebuspublicis: vt acrioribus ſuppliciis, ciuẽ domeſticum perniciosum: quàm hoſtem coercerent externum. Hìc tum appellare ad S. Sedem *Nayman*, quod non eſt negatum ab officio Academico; ſi modò per ſubſellia ordinaria, primò apud Conſiliarios Vniuerſitatis, atque ipſam Vniuerſitatem, tùm apud Illuſtriſsimum D. Epiſcopũ Crac: tanquam Cancellarium Academiæ; experiri & cõqueri de iniuria prætenſa voluiſset. Sic leges Vniuerſitatis & Priuilegia, nobis à S. Sede Romana cõfirmata diſponunt. Etiam & Sacroſanctum Concilium Tridentinum, Vltra montanos, primò apud Epiſcopum quemq; ſuum, in prima inſtantiâ de iure ſuo, docere iubet.

Tantò magis Academicos, qui Profeſsionibus ſuis, & Cathedris alligati: litibus longè perſequendis, de-

dis, diſtrahi non poſsunt, ſine detrimento Profeſsionis, & publicæ vtilitatis. Expediuit interea, præter ordinem & conſuetudinem vſitatam, D. *Nayman* Româ citationē, quàm Academia ſubitò ſuo Agenti cõmiſerat,ſed ille nouus hoſpes Romæ, in quo iudicio agitanda foret,cùm ſcire non poſset, non negligentiâ,aut officij contemptu; ſed inexperientia iuris & loci, non attentauit. Hic triumphat pars Actorea.

Monitorium expeditum,ſed non præſentatum parti,vt iuris eſt,& quibus, & qua formula oportuit, nec Sigillis & ſubſcriptione officioſa oſtenſa. (Hoc enim ſemper egit D. *Nayman*, vt non tàm ad iuris formulam, quàm ad artem attenderet ſuam, vt quouis modo irretiret Academiam.) Hæc cùm non viſa eſsent, tamen non ſine ſuſpicione & metu erant; adhibuit diligentiam Academia, nè quid iuri ſuo derogaretur: vel, vt nè quid ab aduerſa parte, contra rem ſuam obtineretur. Sed acrior fuit aduerſarij in Academia vexanda malignitas; quàm noſtra per Agentes Cuſtodia: non adcitata parte noſtra, clàm confinxit D *Nayman* intra paucos dies, Contrauentionem: Executoremque Contrauentio-

uertionis Monitorij (cum non docuiſset in iudicio, præſente parte, fuiſse contrauentum) Reuerendiſ: olim Thomam Oborſky Suffraganeum Crac: hominem pietatis commemorandæ; ſed tamen humanitùs affectum ad partem, delegit ad fulminandam contra Academiam, & Spectab. Conſulatum Crac: Excommunicationem.

Per valuas templorum Crac: affixit chartas infames; ſub titulo Reuerendiſ: olim D. Suffraganei Crac: in quibus totam ferè Vniuerſitatem ſtudij Crac: & Conſulatum Crac: paucis exceptis, de nomine & cognomine, rarâ & inuſitata malitiâ, ad irridendum plebi propoſuit. Miſſum eſt ab vtraque parte offenſa, eodem ipſo die, ad Reuerendiſ. D. Suffraganeum; doceret de ſuo iure, & officio exequendi; ille verò (tametſi nomine ſuo ſcriptum eſset, in chartis ad valuas templorum affixis: oſtendendam facultatem exequendi, cuiq; poſcenti & requirenti) requiſitus, apud *Naymanum* iſta eſse dixit: nõ oſtendit, nõ potuit, quia nõ habuit quicquã. Proteſtatum eſt de inſigni iniuria, tam honori Academico, quàm Conſulari illata. Ita ad exterrendum innocentes Academicos, & Spectab. Conſulatum

latum

latum Crac: auctoritate Reuerendiſ. D. Thomæ Oborſky D. *Nayman* vſus, & poteſtate iudiciaria, quæ illi non conceſſerat hoc, abuſus.

Expediuit amplius, quo colore & qua prætenſione ignotum eſt, contra Academiam, & Spectabilem Conſulatum, neſciente parte, neque interim etiam adcitato Agente partis, Romæ: Criminatus Academicos, vt raptores, & vſurpatores clauium S. Petri; rebelles S. Sedi, & alia, quæcunq; illi odium & furor, contra innocentem Academiam iuſſit. Obtentum, non contradicente quoquã; præſertim ignorante parte. Obtentum, tamẽ quòd non afficeret partem, in quantum de iure; niſi palàm & notoriè contrauenientem. Cum verò ſcriptum eſſet in Decreto. ILLVSTRIS: DNI *Cæſaris Argelij* iuxta narrata. *Afficere partem pro ut de iure*: D. Nayman ex *Afficere* fecit *Affigere*, & Decretum Cameræ Apoſtolicæ, magna Academiæ iniuria, falſificauit: plerisq; in locis eraſit: aliud pro alio ſubſtituit; & hoc iterum ad valuas omnium templorum Crac: inſcriptis pluriũ, etiàm ex *Illuſtr: Cap: Crac:* tam Academicorum, quàm Spectabilium Conſulum nominibus, affixit. Et quidem non monſtrato hoc

ipſo Inſtrumento Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo Domino Loci Ordinario, vt legitimè, ſi quæ fuiſſet, Executio haberetur. Ipſe inſtabat, ipſe exequebatur, & quò diutius infamia Academiæ adhæreſceret: noctu ad valuas templorum, chartas Decreti falſificati, tenaci applicabat glutino. Percrebuit illicò fama prætenſæ Excommunicationis; omnes tanquam fulmine perculſi inopinato: turbari conſcientia, animo mœrere, vicem ſuam conqueri, ab Illuſtriſ: & Reuerendiſ: D Epiſcopo tanquā Academiæ Cancellario, Conſilia & remedia quærere: inſtrumentum Originale ad verificandum reposcere: D. autem *Nayman* poſt turbas tantas datas, ſe abdidit occultè, vt nè præſentare adigeretur falſificatum.

Itum eſt ſubitò ad Illuſtriſ: & Reuerendiſ: D. Nuncium Apoſtolicum Warſzauiam, pro ſubleuatione, in caſu prætenſæ Excommnnicationis, quantumlibet vitiatæ. Miratus eſt Illuſtr: primùm tot perſonas, Statu & Conditione differentes, pleraſq; non quantiuis pretij, vna calamitate inuolui, & quaſi repentino fulmine afflari. Suſpectam deinde ſibi eam rem videri, viſa forma Decreti publicati in-

ſolenter

ſolentèr, quæ eſset præter morem, & ſtylum grauẽ; & Sanctum Romanum.

Dedit inſuper de hoc ipſo negotio, litteras ad Illuſtriſsimum D. *Chriſtophorum Widman*, ſignificans, quantum conſecutum fuiſset ſcandalum, ad vnius hominis Laici, falſam contra Clerum delationem: innocenter, ſine culpa, tot capita, etiam pleraq; in Magiſtratu Eccleſiæ poſita, mulctari: Illuſtriſs: autem D. *Chriſtophorus Widman* vtriuſq; *ſignaturæ SS. D N. Papæ Referendarius*, nec non *Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ*, Generalis Auditor, ac *Iudex Ordinarius*, parte vtraque audita, atque rationibus vtrinq; grauitèr expenſis, & examinatis, decreuit iuſtiſsimè.

Aſſertas vexationes, ex cauſa recurſus habiti, ad Sedem Apoſtolicam à D. Nayman*: etiam ſuper petita notificatione, & intimatione prædictorum, tanquam de facto emanatas, & nullis documentis & iuribus fuiſſe ſuffultas, & eſse præſumptas, temerarias, indebitas, inualidas, & nullius roboris & efficaciæ. Illasq; propterea omni iuris effectu carere; & minimè fuiſſe admittendas, timẽdas, & attendẽdas, & nulla tenùs afficere potuiſſe, & poſſe, nec de iure debuiſſe, nec debere.*

Hæc de iure ac æquitate pro parte Academiæ Crac:, Illustriss: *Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor*: Academiam iusto Decreto absoluit, D. *Christophori Nayman*, præsumptas vexationes, ex causa recursus, ad Sedem Apostolicam nullis iuribus & documentis, suffultas fuisse, decreuit. Si enim aliqua fuissent iura legitimi recursus, ea in iudicio D. *Nayman* produxisset; præcipuè cum haberet D. *Borouichium* in causa sua vigilantem Patronum: optimè respondentem de iure, etiam ab amicis Academiæ, olim Academicis, sibi nō leuitèr cōmendatum. Cū verò nihil eiusmodi productū fuisset contra: pro innocentia Academiæ, iustè & sanctè decisum. Sed quia hæc res, non iuxta arbitrium D. *Nayman* (quod ille regulam omnium iudicum, & iudiciorum vult habere) cecidit, ideò post Decretum æquissimi *Iudicis Cameræ Apostolicæ*: Iustificationem suam innouat, de qua in iudicio siluit. Sed non attendit, vt ignarus legum & iuris diuini, quod Iustificatio sine opere iusto, nulla sit: opus autem iustum est, reddere vnicuiq; quod suum est.

Si Iustificationem suam apud Eminentissimum Cardina:

Cardinalem Romæ deducit; quare eandem ipsam in Polonia, coram officio Academico; aut si illud suspectum haberet, coram Consulari: vel si neque hoc ipsum admitteret, in *Comissione S. R. M.* quare non declarauit?

Insuper, Romæ habito negotio, quare hanc suã Iustificationem, sibi per semetipsum imputatam, coràm *Illustrissimo Cameræ Apostolicæ Auditore* dissimulauit? Nimirum, quia prætensæ innocẽtiæ suæ, spectatores tantum, non cognitores, nec iudices, vult habere: Nunquam ille, in iudicio vllo volebat iudicari; sed falsas duntaxat, & illegitimas, vbiuis opponebat Inhibitiones. Quæ est ista obsecro Iustificatio? Academicos, qui iure suo, ab eo repetunt pias Fundationes, ex tenuibus ab eodem subductas fundis: supellectilem non tenuem Oeconomicam, solo fundi affixam, ab eodem conuasatam, aliò translatam: syluas vastatas, & excisas: hæc quia repetunt, ideò Conuulsores Ecclesiæ, ideò auctoritatis S. Sedis Apostolicæ violatores, nominare?

Hæc Iustificatio est D. Nayman? qui cùm antea ad modùm gracilis in literis esset; nunc acri bile tu-

le tumens, libros peregrè imprimit: quibus non aliam materiam, quàm atram bilem, contra MethodumGaleni infarcit, quam in faciem hominum despuat innocentum. Sed in se spuit, qui spuit aduersus Olympum. Seipsum coinquinat, qui honestatem de honestat alienam.

Nimirum hæc iustificatio D. *Nayman*, quæ in Regno consistere non potuit, peregrè vt feralis bubo, ex suis nata Cineribus Cracouiæ per quendam Laicum, tenuem Causarum Patronum, ad infamiam alienam, emissa volitat; cum tamen iste Consultor aliorum, parùm ad modum in rem suam consulit, vbi dentes venenatos spargit, non intelligens, quàm lætam ex tali semente sit habiturus messem. Scilicet ille facit, vt aliquid, ad rem suam exilem & satis macram, ab extremis sui abradat principalis.

Sed ad *Illustriss: D. Episcopum Crac*: appellauit D *Nayman*? Non negatum fuisset, si legittimè, & ordine seruato, subselliorum iuris Academici, prouocatum fuisset Cùm etiam non rarò, vt né alienis occupentur *Illustriss: D. D. nostri Episcopi*, sine causa næniis; Academicas res, ad Rectorem, vbi pe-

bi priùs de illis non planè cognitum eſſet, remittant. Priùs ergo Dño. *Nayman*, à Rectore ad Conſiliarios, ab his, ad Vniuerſitatem, eundũ erat: quòd ſi ab omnibus iſtis, duriùs ſecum agi, viſum illi fuiſſet: *Illuſtriſs*: & *Reuerendiſs*: *D. Cancellarij Academiæ*, iudicium erat implorandum. Sed D. *Nayman*, ſupra modum pernicioſa malitia, ordinem iudiciorum noſtrorum, nobis à SS. Fundatoribus deſcriptum, à S. Sede Romana confirmatum; perturbare, conculcare voluit; prout hoc ipſum laudabiliter ſibi feciſſe videtur.

Vndè nulla fuit Iudicum, ab *Illuſtriſs*: *D. Epiſcopo Crac*: ſuper ea cauſa (vt comminiſcitur D. *Nayman*) deſignatio; amicos Illuſtriſsimus dederat, ex *Illuſtr*: *Capitulo Crac*: Prælatos & Canonicos: ad cognoſcẽdum vtrinq; de negotio. Cupiebat enim Illuſtr: pro ſua in omnes bonitate, controuerſiam iſtam diuturnã, & in dies acerbiorem, placidiſsimè componere. Etiam de peculio ſuo, ſi ita exili fortuna eſſet, D. Naymano offerebat: vt congrueret cum Vniuerſitate. Sed maior fuit *Naymani* temeritas, quam *Illuſtriſsimi* benignitas, cùm neutrum vellet. Quandò enim Dño. *Nayman* Præla-

ti & Ca-

monici, vt teſtes oculati dicerēt quod verum: eumquè ad ſatisfaciendum Academiæ inducerent; non ad mentem videbantur. Propterea, non ſine iniuria ſua, ab eodem repudiati: de quo etiam apud *Illuſtriſsimum & Reuerendiſsimum D. Epiſcopum* queſti ſunt; Palam eſse, (inquientes) quomodo permiſceat Academiam D. *Nayman*, ſi nobiſcum in tàm breui tempore, inciuiliter, & inhumaniter, quòd non ad ſenſum eius diceremus, egit.

Apud *Illuſtriſsimum D. Archiepiſcopum Gneſn.* vt nulla fuit appellatio, ita nulla (contrà quòd confingit D. *Chriſtophorus*) cauſæ cognitio, neq; citatio vlla ab *Illuſtriſsimo* Academiæ miſsa.

Fuit D. *Nayman*, apud *Illuſtriſs*: *D. Archiepiſcopum*, expoſuit verbosè prætenſas iniurias; ſcripſit ex tunc ob eā cauſā *Illuſtriſs*: *D. Archiepiſcopus* ad *Illuſtriſs*: *D. Epiſcopum* Crac: ſe nolle cognoſcere de negotio iſto, cùm Academici poſsint ſuas, obtendere exemptiones, & quia D. *Nayman* venit ſine Proceſsu, & ordine iudiciario, vellet ſua *Celſitudo*, controuerſiam iſtam componere. Quod & factum fuiſset ab *Illuſtriſsimo D. Cancellario Academiæ*; niſi ita accidiſset, quod in Phrenetici Curatione,

tione, benefactori suo non raro vsuuenit, cum perferat ab eo plerumq;, cui benè consultum vult Hæc ergo nobis grauiter dolet iniuria, Cum D. *Christophorus Nayman*, ea confingit iniuriosè contra Academiam, quæ nunquam fuerunt, nec probari vnquam possunt. Proinde, cùm statim à principio suæ Iustificationis, ignaros rerum decipit; quomodo ex falsis, verum deducet præmissis?

Vulnera quæritur sibi inflicta D. Nayman, ab Academia? Scilicet vt ille quispiam, aduersarium suum, quem grauitèr cruentasset, adhuc tamen in iudicium vocauit, quod non totum in eius corpore telum defixisset. Non aliter D. *Nayman* queritur, quod adhuc Academia supersit, post infames eius Pasquinos, qui caput & vitam petunt, contra se, vbiuis dissipatos. Quo enim iniuriæ genere contra Academiam abstinuit? cum eruditionem, honestatem, probitatem, eius antiquam, impudēti lingua temerasset, & violasset? Et cùm neque hæc, tàm atrocia auditu, eius inflammato contra Academiam satis essent odio: etiam Religionem, Ecclesiam, Venerationem supremi in Ecclesia Catholica Pastoris, nobis falsò eripit; & in media Vrbe

Roma, Principe Religionis noſtræ, audet plusquã gladiatoria audacia, Academicos Crac: *Conuulſores Eccleſiæ, S. Sedi Apoſtolicæ rebelles*, falsò traducere: & apud Eminentiſsimum *Cardinalem D. Carolum Medices*, accuſare. Cùm tamen idem ipſe iniurioſus Conuitiator, veriſsimè omnia diuina, & humana conuulſiſset iura; *Diuina* quidem, falſificando literas Apoſtolicas: auctoritatem Excommunicandi quoslibet, etiam qui ad cauſam non pertinerent, ſibi illegittimè vſurpando, Academicos innocentes per Eccleſiarum valuas, ad ſcandalum plebis, & ſtatus Clericalis irriſionem, traducendo: Eccleſiæ Summates in Regno noſtro, ſuis aculeis fatuis tangendo. *Humana* verò cum neminem Magiſtratum, etiàm ſupremum in Regno, recognoſceret, cuius auctoritatem reſpiceret, & poteſtatem.

Ne crede Eminentiſs: Princeps, quicquid ſcribitur ad Eminentiſs. V. Celſit. contra Academiam Crac: quia ſunt conficta iniuriosè, maledici Conuiciatoris Commenta. Academia innocens, ab illo magnas accepit, in bonis ſuis laceratis, & honeſtate traducta criminosè, iniurias: & poſt iſta, tàm

nobis

nobis acerba accepta vulnera; etiam nùm, nè per ſomnum quidem, furorem & odium in Academiam, relaxat.

Non eſt credibile, vt omnes, præſertim in benè ordinata Vniuerſitate, (hominum conditionis Eccleſiaſticæ, vita & moribus, & vocatione ſua, modeſtiam profitentium, & docentium ſimul) contra vnum ſint: niſi ille grauitèr impudens, & malitioſus habeatur: qui ſtatum in quo non paucis vixit annis, extremè rurſum oppugnet, eius Iurisdictionem, & leges ſacroſanctas conuellat. Talis eſt delator hic noſter iniurioſus, Vniuerſalitèr in omnes iniuſtus, cùm neminem habeat in Vniuerſitate, ad quem, ab eo non pertineat, iniuria profecta. Ex quo congruum non eſt rationi, plùs vni ex odio & affectu, quàm omnibus pro ſtatu, & legibus ſuis dicentibus, fidei haberi.

Longè à vero eſt, quod eum Academicâ proſterneret, vt comminiſcitur, potentiâ: Academici & pauperes ſunt, & paucis exceptis Sacerdotes: quibus voluntas, & facultas, cuiquam, procul abſunt nocendi. Ipſa eum malignitas eius & virulentia proſtrauit: ſi tamen proſtrauit quan-

uit, quando vsq; adhùc non desinit omnes rabiosè mordere. Sed nimirum, quandò Magistratui parere vellet nulli: contra eius, rebellionem, quod noluit, est consecutum.

Quæ autem Pænitentia eius, tam noxia & acerba? Romà scribit Supplices ad *Illustrissimos Principes* libellos; eos tamen impiè stultis incessit obelis. Vnde hæc eius pænitentia mordax irritat magis, quàm sedat dolorem. Romæ in illo Gentium omnium Emporio, in loco sanctitatis, *Witembergenses* appellat Academicos Crac: eos, qui S. Sedi Apostolicæ obedientiam, & primam in loco Dei Venerationem debent, & semper à prima Fundatione, iam tertium sæculum, præstant: Qui neminem admittunt in numerum suorum, priusquàm omnes abiuret, & detestetur Hæreses: eodéque iusiurando *S. Ecclesiæ Romanæ*, se adstringat. Contra hæc tamen, tàm manifesta, tàm vetusta & vsitata, non erubescit conuitiari D. *Nayman*; ita feruet Academiæ odio, vt cum illi vera desint: falsa conquirat contra eadem commenta. Talibus causam suam iniquam deducit argumentis; cum tamen res ista Romæ iam, per *Illustrissimũ Cameræ Apostolicæ*

postolicæ Iudicem, & *Ordinarium Auditorem*, iure, & æquitate mediante, est decisa, & iudicata.

Ille verò, cùm Decretis contrauenit Apostolicis, idcircò Apostolicã, quantùm in eo est, posthabet, & contemnit auctoritatem; dignus profectò qui iterùm Romæ inuisat, *Tullianum*. Nullum enim illi tàm sanctum iudicium est, quod non sua contumacia, audeat temerare.

Existimabat nimirum, se maledicentia sua, de Academiæ dignitate detrahere posse: Academia verò, ab eius graui, & impiâ, magis floret, & propagatur, insectatione.

Duris vt ilex tunsa bipennibus; ipso
Ducit opes, animumq; ab hoste.

Sed quid ita persequor iniurias, à *Naymano* Matri Academiæ illatas? Cùm & olim mater sua Naturalis, eum post iniurias, non raro ab eodem acceptas, domo suâ frequenter, tanquam partum exturbaret degenerem. Cùm nec Adm. R. Frater suus, olim Canonicus Crac: cum eo semper fraterne cohæreret. Testari posset si viueret Adm. R. *Ioannes Crosner, I. V. D. & Professor*, qui eum, non raro fratri suo conciliauit. Vltimus & luctuosus fratris sui,

 vsque

vſque modò omnibus commemorandi, exitus docuit: cui ille vt Fratri ſuo dilectiſsimo, manu & arte ſuâ, Fatum præter ætatem, accerſiuit. Neque tantùm in Matrem, & Fratrem, inſignitèr fuit iniurioſus; ſed etiam ſuperſtites Filios, & Filiã, & Generũ, probitate ſua, & hominum exiſtimatione, omnibus commendatum; vni ſoli inuiſum, Auiæ ſuæ, & Patrui bonis relictis; (ſua enim inter mimas alia, alia inter lites cum omnibus aſsiduas) confecit: eijcit & priuat iniurioſè. In omnes inſuper, domeſticos, externos, amicos, familiares, odio, & iracundiæ ardet acerbitate; vt iam leuiora quadantenùs quæ perfert ab illo Academia, videantur: cum nec à domo ſua, & cognatione, quaſi rediuiuus Timon, inhumana ſibi temperet, feritate. Non commemoro *Fraieros, Gucios, Boguſlawios, Piſarſcios, V. Eccleſiæ Omnium SS. Capitulum*; *pupillorum & pupillarum viſcatam Tutelam.* Satis dixit, qui vniuerſalitèr litigioſum dixit.

Talis verò, & tam Crudelis, non ſolùm Academiæ, ſed omnium hominum turbator, infamis, & extorris, procul patriâ viuet: & niſi reſipuerit, atque de maledicentiâ, damnis, quanta cuique dederit,

derit, refusis, non simulatè pænituerit; Crabronibus quibus altus, & educatus est, in suo sepulchro insculptis: infamis morietur.

Quam calamitatem ab illo *Academia Crac:* deprecatur, nec optat: imò precatur & optat, vt menti aliquando redditus meliori & saniori; intelligat, nullum falsum, quantalibet, fucatum cerussâ, posse vnquam, contra simplicem præualere veritatem. Confidit etiam, hæc eadem *Academia Crac: Iustissimo, & Sanctissimo Cameræ Apostolicæ Iudicio*, quòd in illo rectissimo, quale est cæleste, Tribunali; prout iam, per Decreta sua iustissima habet, ampliùs habitura sit, ab impetitione vitilitigatoris *Naymani* malignâ, Securitem & Protectionem.